

appetitur; ergo per realem, et intrinsicam tendentiam, et non per denominationem extrinsecam illum respicit, quia quidquid se tenet ex parte objecti non est denominatio extrinseca in actu, sed reali tendentia attingitur.

XXXIII. Dices: Eadem ratione probabitur, quod actus corporales externi ordinantur ad finem impetrantis reali tendentia, et non per extrinsecam denominationem, si quidem etiam finalizantur a fine, et ab illo ut a causa reali dependent; ergo reali dependentia illum respiciunt: si autem in his non est efficax ista ratio, neque erit in actibus immanentibus, aut spiritualibus.

XXXIV. Respondetur finem dupliciter influere in actus ordinatos ad se, vel subordinatos sibi. Primo, movendo causam efficientem, ut operetur, et producat illos inesse, et det illis existentiam: secundo, regulando illos secundum conformitatem, aut difformitatem ad rationem, et communicando illis suam bonitatem, vel malitiam. Et prima influentia pertinet ad esse physicum, secunda ad morale. Quantum ergo ad primam influentiam non negamus dependere actus corporales, et externos a fine, sicut etiam dependent ab efficienti, imo ex eo quod finis movet, et applicat ipsum efficiens ad operandum, non influit causalitas efficientis ipsam existentiam in effectum, nisi simul cum causalitate finali, quæ in re, et physice cum actione efficientis identificatur, licet sub alia formalitate respiciat finem, sub alia efficiens, ut diximus in physicis, quæst. XIII.

XXXV. Quantum ad secundam influentiam dicimus aliter communicari moralitatem finis actibus corporalibus, aut actionibus transeuntis, aliter ipsis internis, seu immanentibus. Nam illis prioribus non communicatur tamquam in se, et

intrinsicam liberis, seu indifferentibus, neque ut respicientibus objectum cognoscendo, aut volendo, sed solum ut actionibus executivis, et respicientibus effectum suum secundum determinatam, et necessariam tendentiam ad ea, quæ operantur. Unde non possunt habere indifferentiam, et moralitatem in ista tendentia erga objectum, quia in eis est totaliter determinata, et sic non regulari mensura morali, quæ est libera, sed solum in applicatione extrinseca ad exercitium, quatenus fit a causa libera, quæ potest non applicare. Unde tota libertas, et consequenter moralitas manet sibi extrinseca. In aliis vero actibus participantibus in se aliquam libertatem, vel indifferentiam invenitur moralitas, et libertas etiam in ipsa tendentia ad objectum, et ideo finis movet cum propositione objecti subordinati tali fini, et ipso tamquam circumstantia vestiti, ideoque potest per realem, et intrinsicam tendentiam ad ipsum ut adjunctum, et circumstans objecto, ejus bonitatem, et regulationem participare in esse morali. Alia argumenta contra istam resolutionem adducemus sequenti difficultate.

#### SEXTA DIFFICULTAS.

XXXVI. Petit, an bonitas ex fine dicatur generica, vel specifica respectu actus imperati; an modalis, seu accidentalis: et quomodo ista bonitas illi insit. Quod conducit ad explicandum magis præcedentem difficultatem de respectu intrinseco actus ad finem. Quidem ergo existimant bonitatem ex fine genericam esse, ducti auctoritate S. Thomæ in hac quæstione XVIII, artic. VII, ubi docet bonitatem, quæ sumitur ex fine esse genericam respectu ejus, quæ sumitur ab objecto, et hanc

contineri sub illa, quando est determinativa ejus. Et idem affirmat in secundo, dist. XXXVI, quæst. XI, art. I ad secundum dicit: « Quod vitia ex fine proximo habent speciem, sed ex fine remoto habent genus, et causam; sicut cum aliquis mœchatur ut furetur, est ibi quædam species mœchiæ ex proprio fine, et objecto, sed ex fine ultimo ostenditur, quod mœchia ex furto oritur, et sub eo continetur tamquam effectus sub causa, vel sicut species sub genere, ut patet ex iis, quæ supra de actibus dicta sunt in communi. » Ubi refert se ad istum locum ex prima secundæ et sic utrobique censetur idem dicere, nempe quod specifica bonitas ex objecto continetur sub bonitate finis tamquam sub generica.

XXXVII. Invenit autem pater Vazquez super hanc quæstionem XVIII, art. VII, in notationibus articuli duplicem difficultatem in doctrina D. Thomæ. Primam, quia sibi D. Thomas contradicit; secundam, quia doctrina ipsa est falsa. Et utrique difficultati succumbit Vazquez, nec mentem D. Thomæ se assequi fateatur. Contradicit quidem D. Thomæ, quia in loco allegato ex secunda secundæ dicit: « Quando quis mœchatur ut furetur, habere actum, speciem ex mœchia, sed oriri ex furto ut effectum a causa, vel contineri sub illo, ut speciem sub genere, » cum tamen in hac quæstione XVIII, art. VII, dicat: « Cum quis furatur ut mœchetur contineri actum sub duplici specie disparata, non unam sub alia tamquam speciem sub genere. » Est autem in se illa doctrina falsa, quando dicit bonitatem ex objecto contineri sub bonitate ex fine tamquam speciem sub genere, quia vel medium habet distinctam bonitatem a fine, vel non. Si non habet, non continetur sub illa tamquam sub genere, cum non sit duplex, sed una. Si habet distin-

ctam, semper bonitas ex fine accidentaliter comparatur ad objectum, quia se habet ut circumstantia: ergo nunquam se habebit ut genus illius, quia hoc essentialiter comparatur ad speciem.

XXXVIII. Nec volet dicere, quod est genus in causando, et per modum causæ universalis, non in prædicando, et essendo. Contra enim est, quia aliquando bonitas ex fine non est magis universalis, quam illa quæ est ex objecto, sed æqualis, ut cum quis furatur propter mœchiam vel propter ludum, æque enim posset e contra mœchari propter furtum, vel ludere ut furetur: et aliquando medium non habet aliam bonitatem quam finis. Unde tunc non erit universalior in causando finis, quam medium, quia non est distinctio.

XXXIX. Respondetur bonitatem, seu moralitatem ex fine operantis non esse genericam logice, et in prædicando, sed moraliter, et in movendo, seu causando. Quod tam in doctrina D. Thomæ est evidens, quam in illismet locis, qui ex ipso citantur ad asserendum, quod est bonitas generica. In doctrina quidem D. Thomæ, quia ipse constanter tenet bonitatem ex fine esse circumstantiam, licet inter circumstantias principalissima, ut patet supra quæst. VII. Quod autem est genus in prædicando non potest esse circumstantia, cum genus ad substantiam rei pertineat, circumstantia vero totam substantiam rei supponit, et illi accidit, est enim circumstantia accidens actus moralis. Deinde D. Thomas aperte fatetur, finem dare speciem actui interiori, seu impetranti, qui est ipsa intentio, eo quod est objectum illius, sicut actus exterior accipit speciem ab objecto circa quod est; ergo finis dat bonitatem specificam alicui actui, scilicet interiori; ergo nequit dare generi-

cam alteri actui, sicut nec unus actus in specie determinatus, et contractus potest esse genus respectu alterius actus in altera specie constituti.

XL. Itaque si finis est objectum specificativum alicujus actus in specie atoma, et determinata, impossibile est, quod det genericam bonitatem alteri actui, nec constituat illum quoad genericum prædicatum, cum una species determinata non sit genus respectu alterius speciei, sed finis est objectum determinatum, et specificativum actus intentionis, quia a D. Thoma vocatur actus interior, et habet pro objecto ipsum finem; ergo actus imperatus qualis est actus electionis, qui versatur circa medium, non potest habere pro genere prædicabili bonitatem, quæ est ex fine. Et sicut actus intentionis et electionis, imperans, et imperatus differunt specie, nec unus se habet ut genus respectu alterius, ita nec bonitas ex fine, qui est objectum intentionis potest comparari ut generica respectu bonitatis ex objecto in actu imperato, sed solum communicari illi accidentaliter, et participative.

XLI. Restat ergo dicendum, quod quando D. Thomas docet bonitatem, seu speciem quæ sumitur ex fine remoto, aut ultimo esse sicut genus, loquitur de genere non in essendo, et prædicando, seu in causando, et movendo, quod quidem genus in se determinata species est, et determinatum individuum, sicut sol est causa universalis ad omnia corpora corruptibilia, et Deus universalissima ad omnia entia creata; et in moralibus justitia legalis, quæ respicit bonum commune, alias virtutes ordinat ad finem illum universalem boni communis; et religio etiam universaliter alias virtutes ordinat ad cultum Dei; et charitas omnes virtutes format in ordine

ad finem ultimum, et tamen in se quædam speciales, et determinatæ virtutes sunt. Itaque finis solum dat moralitatem genericam in causando, et movendo, non in prædicando.

XLII. Sed tamen cum hac differentia, quod aliquando finis non per se est finis, sed per accidens ex sola voluntate operantis, de se autem æque indifferenter potest esse finis, aut medium, sicut cum quis furatur ut mœchetur, potest enim etiam e converso mœchari ut furetur, et tunc ex natura ipsius finis, et per se loquendo non se habet ut movens generaliter, ut universaliter ad illum actum cujus finis est: sed tantum per accidens ex voluntate operantis, et movet ut finis, et causat, sed non id postulat ex se, sed solum beneficio voluntatis id habet. Et tunc dicitur actus, qui movetur a tali fine poni in duplici specie disparata in genere morali, eo quod illa species, quæ ex fine sibi provenit, non solum accidentaliter est, quia est ex fine movente, et per modum circumstantiæ se habente, sed etiam disparata est, quia ex parte finis nulla est connexio per se cum tali actu, sed solum iste finis apponitur sibi ex voluntate operantis, sicut cum quis furatur ut mœchetur. Aliquando vero finis per se, et ratione sui finis est respectu illius actus, quia superior, et nobilior, et consequenter universalior, quia subjicit sibi illa media, et illos actus: sicut justitia legalis quæ respicit conservationem boni communis per se est finis superior ad particulares virtutes, ut ad fortitudinem, temperantiam, et alias: et religio similiter, quæ ordinat ad cultum Dei, qui est superior, et generalior finis, si quidem omnibus virtutibus colitur Deus: et charitas quæ ordinat ad finem generalissimum, et ultimum simpliciter. Bonitas ergo ex istis fi-

nibus proveniens dicitur a D. Thoma generica, et continere bonitates alias, quæ sunt ex objecto tamquam species sub genere loquendo de genere in movendo, seu causando, non in prædicando.

XLIII. Et hoc patet clare perpendendo verba ipsa D. Thomæ in articulo septimo hujus quæstionis xviii, dicit enim sic: « Ex istis sequitur, quod differentia specifica, quæ est ex fine est magis generalis; et differentia, quæ est ex objecto per se ad talem finem ordinato est specifica respectu ejus. Voluntas enim, cujus proprium objectum est finis, est universale motivum respectu omnium potentiarum animæ, quorum propria objecta, sunt objecta particularium actuum. » Ubi solum oportet verba ipsa attendere, quæ si Vazquez voluisset advertere, non ita difficilem reputaret mentem S. Thomæ, sed consensisset plane interpretationi Contradi, et aliorum Thomistarum super istum articulum. Dicit D. Thomas quod differentia specifica, quæ est ex fine est magis generalis, etc. Si est differentia specifica; ergo non generica in prædicando, sed dicitur generalis, quia in movendo universalior est, sicut lux respectu omnium colorum est motivum generale in genere visibili, et tamen in se specifica ratio est. Dicit secundo illam causalem: « Voluntas enim cujus proprium objectum est finis, est universale motivum, etc. » Sed constat, quod voluntas non est motivum generale per modum generis prædicativi, et similiter intentio, quæ vocatur voluntas, sed est motivum in causando; ergo neque finis, quia eo modo communicatur bonitas ex fine, et movet, quo movet actus circa talem finem in ratione genericæ bonitatis.

XLIV. Ex quo solvuntur instantiæ in principio difficultatis allatæ. Di-

citur enim, quod D. Thomas loquitur de genere, et specie in movendo, seu causando, non in prædicando. Et ideo loquitur sub adjunctione tamquam effectus sub causa, vel species sub genere, quia ita est effectus sub causa, quod se habet ad modum speciei sub genere, non quantum ad prædicationem, sed quantum ad universalitatem, et particularitatem in movendo, in quo unum determinat, et contrahit aliud, et sic habet se ad modum generis, et speciei non logice, seu prædicabiliter, sed moraliter aut motive tamquam motivum genericum, et universale, aut speciale.

XLV. Ad difficultates patris Vazquez: ad primam respondetur D. Thomam sibi non contradicere, quia cum dicit in secunda secundæ, quod qui furatur ut mœchetur, continetur species furti sub mœchia, ut effectus sub causa, vel species sub genere; illa disjunctiva, vel species sub genere loquitur de genere non in prædicando, sed in movendo, quia de hoc loquitur in hac prima secundæ, ad quem locum D. Thomas se remittit. Dicit autem disjunctive: « Effectus sub causa, vel species sub genere, » nec est idem unum quod aliud, quia per hoc quod est effectus sub causa efficiente, non explicatur sufficienter habitudo unius motivi sub alio, per modum finis ultimi de quo ibi expresse loquitur D. Thomas et hoc ipso quod furtum ponitur pro fine ultimo a voluntate, fit causa movens universalis respectu hujus, et hoc est esse genus in illo causando, non in prædicando. Et sic per unam partem illius disjunctivæ magis explicatur alia. Cum ergo hoc genus, et species non sit proprie, et stricte genus, quod est genus logicum, et in prædicando, admittit latitudinem, et aliquando est genus in causando, seu movendo per se, quia est ex sua

propria ratione motivum altius, et generalius continens sub se inferiora motiva, sicut charitas, aut religio respectu inferiorum virtutum, aliquando non est ex propria ratione, et per se motivum altius, et generalius, et ideo neque ex se est finis, sed solum ex applicatione voluntatis, quæ vult hoc ponere pro fine illius, vel e contra, sicut quando vult mœchiam propter furtum, vel e converso. Et tunc si attendamus ad id quod talis finis habet per se, et ex propria ratione, non dat actui bonitatem generalem, et per modum generis etiam in movendo, sed dat speciem disparatam: quæ tamen beneficio voluntatis induit rationem finis, et movet tamquam causa finalis ad bonitatem, quæ est in actu ex proprio objecto, et in hoc etiam habet quemdam modum generis ad illam speciem, et ad alias quas voluerit voluntas, quatenus illud motivum finis est determinabile per motivum ex objecto non ex se, sed ex voluntatis determinatione, et applicatione.

XLVI. Et ideo D. Thomas sine ulla contradictione sui potuit dicere in hac prima secundæ, quod quando bonitas ex objecto non est per se determinativa bonitatis ex fine, sunt quasi species disparatæ, id est, quod una non est sub alia, quod verificatur loquendo per se, et ab intrinseco ex ipso fine, et objecto. Et similiter cum hoc componitur, quod dixit in secunda secundæ, nempe quod vitia habent speciem ex fine proximo, et genus ex remoto, scilicet genus non in prædicando, sed in movendo, quia scilicet induitur tamquam ex generaliore motivo. Et similiter in exemplo, quod posuit de eo, qui mœchatur ut furetur, optime dixit quod mœchia oritur ex fine ultimo (scilicet furto) et sub eo continetur illa mœchia, ut effectus sub causa, vel species sub

genere, quia vere illud furtum est causa illius effectus, seu illius speciei, quæ est mœchia, et habet modum generis in movendo ad illam non ex se, sed beneficio voluntatis, quæ vult furtum ponere pro fine ultimo mœchiæ, et hoc ipso dat illi rationem motivi generalis determinabilis per speciem mœchiæ, ac per hoc modum generis habentis, id est, generalioris motivi, quia furtum ponitur pro fine ultimo, et sic est universale motivum in hoc homine, sed hoc habet non ex se, sed beneficio voluntatis, ideoque ex se non est genus, sed disparata species, etiam in movendo.

XLVII. Ad secundam instantiam Vazquez respondetur solutione ibi data quæ (ut vidimus) necessarie admittenda est, et in se, et stando in littera S. Thomæ. Ad replicam dicitur, quod quando species, seu moralitas, quæ est ex fine non est magis universalis, quam quæ est ex objecto, sed æqualis, tunc non est genus in movendo per se loquendo, et secundum propriam naturam; potest tamen genus in movendo, seu induere rationem generalis motivi beneficio voluntatis, quia hoc ipso quod facit illum finem ultimum, seu remotum, facit illud universale pro omnibus actibus illi subjectis; eadem enim ratione qua subordinat sibi mœchiam, subordinat sibi alios actus dum habet rationem ultimi finis, et potest poni a voluntate pro fine cujuscumque actus, ideoque induit rationem generalis motivi, quia induit rationem finis in hoc, licet ex se id non habeat, sed beneficio voluntatis. Et D. Thomas in secunda secundæ, quando dixit mœchiam esse propter furtum, expresse dixit esse mœchiam propter furtum, seu oriri ex furto tamquam ex fine ultimo. Quare bene stat, quod finis aliquando ex se, et ex propria ratione non sit superior,

et universalior, sed æqualis objecto, et tamen beneficio voluntatis fiat superior, et universalior, quia fit finis ultimus, cum ex se non sit.

XLVIII. Et ex hoc deducitur, quomodo ille, qui furatur ut mœchetur dicitur a philosopho, magis mœchus quam fur, licet essentialiter, id est, ex objecto sit fur, et accidentaliter mœchus, est enim magis mœchus, ly magis dicente rationem motivam, et causantem, non constituentem essentialiter. De quo plura dicemus sequenti disputatione, articulo quarto.

XLIX. Adhuc tamen objicies contra hanc, et præcedentem difficultatem quintam. Nam neque in movendo, neque in prædicando potest finis dici genus, et moralitas illius generica respectu moralitatis ortæ ex objecto. Non potest in prædicando esse generica, ut nos admittimus: nec in movendo, seu causando, quia nos dicimus causari moralitatem istam genericam, seu generalem in actu imperato tamquam quid illi intrinsecum, et in eo manens, seu inhærens, quod quidem non est aliquid genericum quasi abstrahens, et in communi sumptum, sed generale; quasi ad plura se potens extendere, et communicari. De hac ergo moralitate generica, seu generali, quæ est ex fine fit argumentum, quia non apparet quid sit, et a quo efficienter producat: ergo non est ponenda. Non apparet quid sit intrinsecum in ipso actu. Quia tota tendentia, et ordo ipsius actus consumitur in objecto, et ibi terminatur, et cum ista tendentia non sit aliud quam ipsa entitas actus, si non superadditur in ordine ad finem nova entitas, seu novus actus, non superadditur novus ordo, et tendentia. Si autem moralitas illa ex fine est aliquid intrinsecum actui, non videtur posse esse aliud quam ordo, et tendentia. Nec dici potest, quod est modus

superadditus illi tendentiæ, et entitati actus. Etenim finis vere, et proprie respicitur ab ipso actu non minus quam objectum; ergo non per modum, sed per veram, et realem tendentiam, et respectum attingitur, si enim ille modus est respectus, quare modum appellamus? Si vero respectus non est, quomodo attingit finem, sicut attingitur objectum?

L. Et confirmatur, quia ista tendentia ad finem, sive sit ordo, et respectus, sive modus, potest variari invariato actu in sua substantia, et specie: possum enim elicere actum ex uno fine, et mutata intentione adhuc continuare illum, ut si volebam dare eleemosynam ex misericordia, dare illam in satisfactionem peccatorum. Si autem ordo in finem est intrinsecus actui, non posset illi advenire de novo ab extrinseco, sed deberet intrinsece mutari, et produci de novo alius actus cum illo novo modo; ergo stante eodemmet actu, non posset variari intentio, et finis ejus: si ergo potest signum est, quod non est aliquid intrinsecum, et entitativum in illo actu.

LI. Et secundo confirmatur ex D. Thoma, quia in hac quæstione xx, art. iii ad tertium docet, quod eadem bonitas est in actu interiori, et exteriori, quia bonitas finis non derivatur intrinsece, sed extrinsece ad actum exteriorem, et sic est eadem bonitas numero utrobique, non diversa, sicut sanitas, quæ est in animali, extrinsece est in urina; huic enim comparat ibi D. Thomas bonitatem derivatam ab actu interiori in exteriorem. Et idem docere videtur in quæstione ii de malo, art. iv ad secundum. Forma autem eadem numero non in duobus intrinsece.

LII. Quod vero non appareat a quo producat ille modus, vel ordo intrinsecus ad finem in actu imperato